

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Visitor regvlaris

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

puta de Nomine Iesu & similibus, ait Gau-
 iii. eo casu recitandam esse Missam de Cir-
 cumcisione Domini, &c. vel quæ similio-
 res sunt Mysterio aut Sancto, de quo cogi-
 tamus celebrare. Quintad. *sing.* 27. Cate-
 rùm vsus obtinuit, et non solum Capellani
 Monialium, sed & quicumque Sacerdotes
 celebrantes in earum, vel quorumcunque
 Regularium Ecclesiis, dicant Missas ex
 Missali proprio Regularium, contra ex-
 pressam Declarationem S. Congr. Rit. 19.
 Nou. 1622. apud Lucern. Regul. V. Missæ. n. 1.
 Et Gauant, in *Man. Episc. V. Missarius. n. 1.*
 Quod Missæ approbatæ pro certis Regula-
 ribus nequeant ab aliis celebrari, nec in eo-
 rundem Regularium Monasteriis.

VISITATOR REGV- LARIS.

445. *Visitatoris Regularis officium.* 446.
Obligatio. 447. *Visitandi libertas.*
 448. *Postulatio.* 449. *Potestas.*
 450. *Amplitudo.* 451. *Commissio.*
 452. *Recusatio.*
 453. *Prouincialis, tempore Visitationis Iuris-*
dictio in foro externo. 454. *Interno.*
 455. *Syndicatus.* 456. *Authori-*
tas. 457. *Defensio.* 458. *Contra*
violentiam. Vu3 459.

676 *Visitator Regularis.*

459. *Circa Visitatores Generales Ordinariis.*
460. *Defuncto Delegante, procedendi Potestas.*

461. *Visitationis Conclusio.* 462. *Visitatorum absolutio.* 463. *Huius Vilitas.*

CCCC. XLV. **V**isitor Regularis, est Superior Ordinarius vel Delegatus, qui

Visitatoris Regularis Officium. circa Regimen Monasteriorum, & vitam personarum Regularium, Inquisitionem facit, vt obseruantiam obligationum, iuxta cuiusque personæ ac rei exigentiam, vbi adhuc viget, conseruet; & vbi deficit, in statum pristinum restituat; atque in primis, vt Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectiue essentiam, nec non ad communem vitam, victum & vestitum conseruanda pertinentia, fideliter obseruentur, curet, Conc. Trid. Sess. 25. de Regul. c. 1.

Dicitur; Superior Ordinarius vel Delegatus, &c. Debet namque Visitator in primis ad hoc habere potestatem legitimam vel ordinariam vel delegatam, quarum alterutram, si caret, non solum impunè ipsi non pareretur, tanquam iudici incompetenti, secundum Iura vulgaria, quæ allegat Rodriq. 10. 2. qq. Reg. q. 22. a. 8. verum etiam incurrit crimen

crimen usurpatæ Jurisdictionis, eritque totum irritum ac nullum, quod ita faciet P. Bouer. in Direct. for. judic. ex comm. & Apost. Rom. 14. Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Ac proinde Visitator, ac quouis Iudex delegatus tenetur ostendere se habere eam delegatam Jurisdictionem, alioquin nullus tenetur ei parere, etiam in executione sententiæ à se latæ. c. Cum in jure. De off. Deleg. P. Elig. 10. 2. V. Delegatus. n. 13. Quod si contra Prouinciam sit, debet antequàm accedat ad visitandam Prouinciam, monere priùs Prouincialem illius, quod tali die seu tempore accedet ad suam Prouinciam visitandam, vt possit se præparare ad illum debito modo recipiendum, sintque parati ad Visitationem. Gauant. in Praxi visit. §. 4. n. 1. Inprimis autem causâ exhibendi mandati suæ Commissionis: neque illi licebit exercere suum munus & officium, donec Prouinciali cõstet de sua Commissione. Factâ verò litterarum seu mandati ostensione, si sit Visitator Generalis missus in Prouinciam à S. Congregatione vel Generali, traditur eidem Prouinciæ sigillum, quo ipse deinceps tanquàm Prouinciæ caput & Superior vtitur, iuxta communem Ordinis nostri vsus, vti sub dato Romæ 26. Febr. 1661. rescripsit R. mus P. Simplicianus

CCCC.
XLVI.
Obligatio.

cianus à Mediolano Minister Generalis.
446. Incumbit Visitatio maximè Præ-
latis & Superioribus Ordinum, qui subdi-
tos habent ordinariâ potestate sibi subie-
ctos. Trident. *cit.* vbi Generales & Prouin-
ciales iubentur, ne *Visitationes suis tempori-
bus facere prætermittant, &c.* Idem nostris
iniungitur in Reg. *cap. 10.* Quod magis in-
speciali determinant statuta Ordinis. *c. 10.*
Vt P. Generalis sui officij tempore cunctas
Prouincias, & si fieri potest, omnia etiam
Monasteria suâ præsentia visitet, aut saltem
vniuersos fratres videre contendat: Mini-
stri verò Prouinciales, cunctos suæ Prouin-
ciæ Conuentus & fratres, bis saltem singu-
lis annis visitent, &c. Sed hoc in Capitulo
Generali An: 1650. moderatum fuit, circa
Prouincias Ultramontanas, quibus propter
nimiam amplitudinem, concessum, Capitu-
lula Prouincialia non annuatim facere, sed
ad menses 18. differre, atque interea tempo-
ris binas Visitationes peragere.

CCCC.
XLVII.
Visitandi
libertati.

447. An Generalis ad libitum possit
vnam Prouinciam iam visitatam, absque eo-
rum, quibus incumbit, instantia iterum vi-
sitare; disputat Peyr. *to. 1. de Rel. subd. q. 1.*
c. 18 §. 1. atque negatiuè ex verbis Conc.
Trid. & argumentis alijs concludit, non
obstante Constitutione Greg. 13. pro suis
Minimis,

Minimis. quâ concedit Generalibus, vt possint quoscunque Visitatores in quamcunque Provinciam, vbi & quando sibi expedire videbitur, transmittere, &c. In Constitutionibus nostris, cum de Provincialibus dicatur, vt his saltem singulis annis visitent cunctos suos Conuentus & fratres, &c. clarè deducitur posse sæpius etiam, si voluerit, eosdem visitare. Clausula enim illa, *saltem*; adiecta dispositioni numerali, non excludit maiorem numerum, quàm fuerit expressum, Barbos. de Diction. tit. 355 n. 2.

448. Vtrum subditi possint impetrare Visitatorem contra Prælatum, agit Peyr. eodem cap. probatque licitum id esse subditis, qui habent Prælatum incontinenter & relaxatè viuentem, seu scandalosè, vel dilapidantem bona Monasterij, Regulamque non obseruantem sed potius destruentem, & ad interitum suo exemplo alios trahentem, &c. Vt autem hoc tutâ conscientia faciant, debent illum prius corrigere, bis, ter, aut quater, vel etiam quinquies, seruatò ordine Correctionis fraternæ. Nam secus ex odio procedere conuincerentur; debentque Prælati excessus ita notorij & irreparabiles esse, vt nocumentum graue sint allaturi, tum Communitati, tum particularibus, nisi illis prouideatur. Quam etiam

CCCC.
XLVIII.
Postula.
tio.

Vu s

ob

ob causam, & ad tollendas rebelliones & conspirationes, in suo Minimorum ordine statutum refert dictus Author, atque sub pœna prohibitum, ne quis ad Superiorem recurrat contrà Prouincialem impetrando Visitatorem, nisi habeat Commissionem à maiori parte Correctorum illius Prouinciæ. Similiter & in Constit. PP. Prædicatorum; ne Visitatores mittantur, nisi præcedat petitio maioris partis Prouinciæ. Sed maximè Rodriq. 19. 3. 99. Reg. 9. 77. 4. 6. arguit eos, qui taliter molestant Prælatos inferiores, solum propter Potentium & Populi clamores. In ordinationibus nostris Generalibus An. 1656. serid admonentur fratres, ne Superioribus Maioribus de Regimine suæ Prouinciæ scribant, petantue Visitatores, nisi quæ certò sibi ipsi consent, atque ita probare possint, grauitèr alioqui plectendi, si falsa vel ex odio seu passione scripsisse deprehendantur. Iunioribus autem, qui necdum septem in Ordine annos expleuerint, prohibetur omninò de statu Regiminis quicquam perscribere, nisi proprias ipsorū personas concernat.

CCCC.
XLIX.
Potestas.

449. Quæ & quanta sit potestas, quam apud nos Ordinarij Visitatores habent, puta, Generalis & Prouinciales, sufficienter dictum putò suis locis, præsertim *V. Index;*
V. Præ-

¶ Prælatus. & V. Prouincialis. Vtrisque licet vices suas, cum potestate fruantur ordinaria, aliis aliquando committere, qui, si ad causam tantum seu causas expediendas mittantur, Commissarij; si ad visitandam insuper vel Prouinciam vel Conuentum: proprie vocantur Visitatores vel Generales vel Prouinciales, pro conditione illius à quo commissionem accipiunt. Qualescunque verò fuerint, qui cum delegata facultate solum emittuntur, strictè seruare debent tenorem in mandatis sibi traditis expressum. Quia mandatum ad vnguem seruandum est. *l. Diligenter. ff. Mandati.* Et ubi quis limites potestatis sibi tradita excedit, non aliter, quàm priuatus censendus est. *Sanch. de Matr. l. 2. disp. 11. n. 17.* Et quidquid facit excedendo mandati fines, ratum minimè est & firmum, non solum quando facit contra præscriptam Mandati formulam, sed etiam quando facit præter aut citrà eam *Panor. in c. vlt. de Resit. Spoliar. Syll. V. Mandatum. q. 7.* Quia quando ad actum datur forma certa; Paria sunt agere contra, præter, & citrà illam. *c. Si cui. de Elect. in 6. c. Prudentiam. de Offic. Delegat.* Et ratio est, quia cum potestas sit limitata, in eo, quod quis excedit, potestate caret, & est veluti priuatus. *Refert Azor. p. 3. Instit. l. 9. q. 4. vers.*

vers. Præterea. Veteres Iuriconsultos aded seueros fuisse aduersus eos, qui rem mandatum receperunt, vt infames definerint eos, qui mandatum susceptum etiam in rebus priuatis & minimis dolo aut culpâ suâ & negligentia deseruerant.

CCCECL.

Ampliat.
do.

450. Quomodo autem intelligi vel interpretari debeat mandatum, tradit *ibidem* Azor, q. 5. Lezan: V. Mandatum. & P. Elig. 10. 2. V. eodem. Ex quibus vnum hîc tantummodò & alterum refero ad propositum magis faciens.

Primum sit: quod Mandatum, quantumuis generale, nunquam extendatur ad illicita, sed ad licita tantum. Vnde mandatum de eligendo aliquo, intelligitur, si sit idoneus. c. *Causam que, de Elect.*

2. Mandatum, quantumcunque generale non extenditur ad ea, quæ requirunt speciale mandatum. Ita expressè habetur in c. *Que ad agendum. De Procurat. in 6.* & maximè in c. *Qui generaliter. eod. tit. & lib.* Quantumuis etiam detur in forma plenissima, aut cum Clausulis aliis similibus, v.g. cum plena & libera administratione, cum potestate exercendi ea, quæ posset ipse Constituens, siue vt quis possit omnia facere, quæ Principalis, &c. Barbos. de Clausul. tit. 35. dicens: *Clausulas quascunque in mandato non extendi*

ad

ad non expressa; numeratque ultra 30. casus, quibus non obstantibus predictis clausulis, speciale mandatum requiritur. Similiter & in *tr. de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 54. n. 59.* In Generalis Vicarij (Episcopalis) concessione, ait, conceduntur ea, quae in mandato Generali continentur, etiamsi clausula adesset, Dan-tes & concedentes ei plenam & liberam potestatem. *arg. text. in l. Procurator. cui. ff. de Procurat. cum similibus, non tamen potest obire & exequi ea, quae speciale postulant mandatum. c. Qui generaliter. de Procur. in 6.* Numerat verò mox 49. casus, ad quos speciale mandatum requiritur ipsi Vicario. Si hoc de Vicario, multò magis in Delegato, qui vè *ibid.* tradit n. 43. Personam quidem Delegantis cum Iurisdictione, non verò locum aut officium eius repræsentat: Vicarius verò non tantùm Personam illius, in cuius vicem subrogatur, sed magis locum seu officium tuetur. *l. 2. C. de offic. eius.* Ibi: tuerò locum Rectorum Prouinciarum noscuntur. Atque hinc etiam Portel. *in dub. Regul. V. Commissarius Prouincia.* loquens de Commissario, qui mittitur ad visitandam Prouinciã & Syndicandum Prouincialem: *Etiãmsi,* inquit, *in litteris Generalis, vt plurimum ibi committatur plenitudo Potestatis, non intelligitur vt possit dispensare in statutis Generalibus,* nequã

neque in rebus grauibus facere ad libitum in-
 conſultis Definitoribus Prouincia: neque vñ
 poſſit creare Confeſſores, Prædicatores, &c. Sed
 attendenda eſt illa plenitudo poteſtatis & men-
 ſuranda ad finem, viſitationem ſcilicet vt quoad
 viſitandum & concernentia viſitationem habe-
 ant Commiſſarij plenam poteſtatem, vocandi
 ſcilicet, cogendi, &c. Hæc ille & illi per om-
 nia conformiter Lezan. rō. 1. qq. Reg. c. 13.
 n. 80. vbi: *Auſtoritas*, inquit, horum Viſita-
 torum pender maximè ex litteris patentiſſimis
 Commiſſionis. Si enim in illis ſit reſtriſta & li-
 mitata, non poſſunt vltra illam aliquid agere: ſi
 autem ſit cum plena poteſtate, poterunt facere
 quicquid iure vel conſuetudine Religionis re-
 ceptum eſt. Vnde facere non poterunt, etiam
 poſitra prædictâ Clauſulâ, Plenitudinis Potesta-
 tis, ea, quæ iure vel conſuetudine Ordinum ſolis
 Generalibus vel perſonaliter competunt. Hæc
 enim cum ſint ſpeciali notâ digna, in conceſſione
 Generali non veniunt, iuxta comm. juris Regul.
 n. 81. Vnde nec poterunt facere, quæ ad ſolum
 Generale vel Prouinciale Capitulum ſpectant,
 propter eaſdem rationes. Rodriq. rō. 1. qq. Reg.
 q. 54. a. 1. & 4. Atque ita in facti contingencia,
 non potuiſſe talem Viſitatore, etiam de expreſſa mente ſuæ Sanctitatis de-
 ſtinatum, inſtituere Guardianum in locum
 demortui, deciſum à S. Congreg. reſcripſiſſe

Em:

Em. D. Cardin. Ginetti, Româ 1. Oct. 1660.
 Quia nempe Guardianos instituire spectat
 ad totam Definitionem. Ceterum quæ nam
 illa sint, quæ ad Capitulum vel Generale vel
 Provinciale spectent, in quibus ideo Gene-
 rales, & consequenter ab ijs Delegati Visi-
 tatores, nihil possint, videantur *V. Dissensa-
 tio. V. Definitoris. V. Provincialis, &c.*

451. Facultas, quæ apud nos Capucinos
 communi stylo Visitatoribus Generalibus
 dari solet, est omnimoda in utroque foro visi-
 tandi, monendi, corrigendi, puniendi, ligandi
 & absoluendi, etiam in casibus reservatis. Di-
 spensandi super Irregularitatibus, per censuras
 Ecclesiasticas & alias penas coercendi & com-
 pellendi, etiam per carceres, si opus fuerit. No-
 uirios ad Ordinem suscipiendi. Causas cognos-
 cendi & terminandi, &c. Quare cum duplex
 sit procedendi modus, per generalem In-
 quisitionem, & specialem, quando vel ex
 Inquisitione generali constat aliquod cri-
 men commissum esse ab aliquo Religioso,
 vel est aliquis, qui accuset vel denunci-
 et tale delictum commissum fuisse, vel ad id
 vocatur Iudex à Conuentu vel Prouincia,
 utroque modo licet Visitatoribus Genera-
 libus procedere, vel per se vel per subdele-
 gatam quoad unam vel alteram causam
 particularem. Quia etiam sint delegati, cum
 tamen

CCCCLI.
 Commis-
 so.

tamen sint delegati à P. Generali, qui est velut Princeps Ordinis supremus, & ad vniuersitatem causarum, maximè cum plenitudine potestatis, videtur ipsis concessa potestas ad subdelegandum. *Supra V. Prelatus. n. 410.* Limita verò cum Rodriq. *to 2. qq. Reg. q. 4. a. 3.* nisi commissio detur, vt personaliter visitet aliquod Monasteriũ: tunc enim videtur electa industria personæ ac promodè eorum auctoritas aliis delegari nõ potest. *Felin. in c. Quoniam. §. 15. autem. de officio Delegat.*

CCCCLII.
Recusatio.

452. Qualiscunque Visitator, quantumcunque suspectus sit, recusari aut impediri nequit, ne visitet ex officio, visitatione generali. Ita declarauit Paul. 5. *An. 1610.* Episcopo Portugal. ibi: *Auctoritate Apostolicã declaramus, Episcopum vel alium, cui id legitimè competit, visitantem, non posse vii suspectum recusari, &c.* *Portel. in Respons. p. 1. c. 21. n. 3.* *Peyr. in form. litt. R. c. 2. n. 3.* *Bassæ. to. 2. V. Visitatio. n. 13.* Et ratio est, quia per Inquisitionem generalem præcisè non inquiritur crimen aut defectus particularis, nec formantur processus: cumquẽ talis Visitatio tendat vnice in bonum Conuentus aut loci, nõ debet ab aliquo impediri bonum commune, aut nociuã recusatione communis status amplius turbari, &c. cuius

causã

causâ in Ordinationibus nostris Generalibus A. 1656. §. De Visitatoribus. Si quis Visitatorem Generalem recusare aut impedire attentauerit, vltra pœnas in Constitutionibus Apostolicis taxatas, mulctatur pœnâ transportationis à Prouincia natiua in alienam ad arbitrium Generalis. Quia tamen potest modus excedi, aut ab inquisitione Generali, aliquando ad particularem procedendum est, licita est recusatio Visitatoris nonnunquam, in casu, scilicet, raro, quando constat certò & euidenter iniquè se gerere aut velle gerere contrâ bonam famam & opinionem alicuius Religiosi. *Lezan. V. Recusatio, n. 1.* Magis autem est licita ob causam, quæ totam concernit Communitatem, de qua inferius. Vel cùm à Visitatione transitur ad specialem inquisitionem; quia in inquisitione particulari procedit non vt Visitator, sed vt Iudex. Certum verò est ex iure Canonico posse Iudicem, etiam ordinarium, ex iusta causa recusari, vt patet in *c. Cum speciali. de Appell.* Qui verò Iudicem recusare voluerit, coram eodem suspicionis causam probabilem atque rationabilem in scriptis proponere debet. *c. Inter Monasterium. de re iudic. c. Cum speciali. Et c. Secundò requiris. de Appell.* Quod si dubia causa recusationis huiusmo-

di sit, recusatus Iudex cognoscere minimè poterit: sed eo casu aduersarius, aut Iudex ipse, vnum; recusans verò, alterum, viros probos atque peritos eligere debent: qui arbitri sic electi de huiusmodi causa, probabilisne sit, ideoque vel admittenda vel reiicienda, diiudicabunt, & si discordes illos inter se esse contigerit, tertium eligant ipsimet, & quod ex ipsis duo iudicauerint, robur obtineat firmitatis. *e. Cum speciali. de Appell. Et c. Suspicionis. iuncta Gl. de off. & pot. Iud. Deleg.* Quæ si probata fuerit, de recusantis consensu, idoneæ personæ causam recusatus committat, vel ad Superiorem ipsum recusantem transmittat. Non probatâ verò, suâ Iudex vtatur Iurisdictione, causamque inceptam prosequatur. P. Baf. cit. n. 14.

CCCC-
LIII.

*Provinci-
alis tem-
pore Visi-
tationis
Iurisdic-
tio in foro au-
terno.*

453. Tempore Visitationis totum Regimen externum contentiosum Prouinciae vel Conuentûs pertinet ad Visitatorem, non ad Prouincialem, aut Prælatum loci: Portel. *in dub. Reg. V. Prouincialis. in addit. ad add. Leza. n. 10. 1 c. 13. n. 28.* Et ex nostris P. Philip. de Bictis. *in Epit. caus. jud. Praxi 4. n. 159.* Omnium enim Visitationum istarum, vt loquitur Trid. *sess. 24. de Ref. c. 3.* Præcipuus scopus est sanam orthodoxamque Doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri,

zueri, prauos corrigere, &c. Et, quantum ad Regulares *sess. 25. de Reg. c. 1.* Regularem disciplinam instaurare, & constantius, vbi conseruata est, vt perseueret precipere, &c. quorum obseruantia vel interitus, quoniam permaximè pendet à Regimine Prælatorum, Visitatores submittuntur, qui & in caput & in membra inquirant, &, quos noxios compererint, debitis pœnis coerceant, idèdque & illis committuntur omnes causæ & lites Prouinciæ vel Conuentûs; Et si eo tempore contingat casus, de quo oporteat fieri processum, & citare testes, talem processum non potest facere Prouincialis, sed debet remittere Visitatori.

454. Possunt autem Prouinciales, durante **CCCC.**
dictâ Visitatione & sui Syndicatione, exercere **LIV.**
 vplurimum, Iurisdictionem voluntariam cum **Interno.**
 subditis, maximè in spiritualibus, v. g. poterit
 absoluerè subditum à reseruatis, vel delegare
 auctoritatem vt absoluat, & à censuris ab-
 soluere in foro conscientie, dispensare in votis,
 Irregularitatibus & similibus. Ita in terminis
 Portel. *cit. n. 4.* quem sequuntur Lezan. &
 Piëtis. *vbi supra.* Quia per exercitium talis
 Iurisdictionis voluntariæ, non impeditur
 aut turbatur officium Visitatoris, potest
 ergo illam exercere, quæ est voluntaria,
 non autem contentiosam, sic enim feret

Xx 2

iniuria

iniuria Visitatori, intromittendo se in pertinentibus ad ipsius officium, quod est, ut dixi, causas & lites dirimere, &c. Dixi, *plerimum, &c.* quia si aliqua spectantia ad Iurisdictionem voluntariam impediunt ac turbent officium Visitatoris, v. g. transfereudo fratrem de vno Conuentu ad alium, vel dando licentiam eundi ad aliquem locum remotum, ita ut non possit interesse Visitationi; hæc, inquam, & similia non poterit facere, cum per hoc impediatur officium Visitatoris. Poterit tamen per breve tempus dare licentiam alicui fratri, ut vadat ad certum negotium & statim redeat, cum per hoc nihil ille turbetur in suo officio. Obseruatum singulariter fuit in Reuerendissimo P. Innocentio à Calatagyrone, Præsule in administrando Regimine peritissimo, quod præter morum correctionem, ac Regularis disciplinæ cognitionem, in alia Prouinciæ negotia, nihil omnino se immiscere voluerit, sed totam dispositionem Prouinciæ Patribus reliquerit, singulariter Nouitiorum receptionem, quos aiebat, tanquam eiusdem nationis & melius notos, & simul in eadem Prouincia, quales quales demum, conuicturos. Sic & modernus Ordinis nostri Gubernator prudentissimus Reuerendissimus P. Simplicianus

cianus à Mediolano rescripsit, vt supra, de-
bere Visitatorem cum Prouinciale, de his,
quæ circa mutationem fratrum pertinent,
aut obedientias eundi ad Ordines, aut ali-
bi, dispensare, &c.

455. Prouincialis ab officio deponi, vel
omni Iurisdictione priuari, tempore Visita-
tionis nequit, nisi per sententiam; tum
quia sine culpa nemo debet jure suo priua-
ri. *c. Discretionem. de eo qui cogn. cons. Sanch.*
l. 2. de Matr. disp. 22. n. 6. tum quia nemo
est priuandus re suâ vel sibi debitâ & pos-
sessione rei, antequàm audiatur vel saltem
citetur. *c. Inter quatuor. de Maior. etiam à*
Papa, vt tradit Nauar. l. 1. Consil. tit. 13. de
restit. spol. cons. 1. arg. c. Nos in quenquam. 2.
q. 1 Imò nec citatus, prætermissio juris or-
dine *c. Nihil. ibidem. vbi text. Nihil, inquit,*
absque legitimo & idoneo accusatore fiat. Nam
& Dominus N. Iesus Christus Iudam furem esse
sciebat: sed quia non est accusatus, idè non est
eiectus. Vnde c. Conquerente. De restit. spol.
Archiepiscopus Cantuar. qui Clericum
quendam ordinariâ sibi Iurisdictione sub-
iectum, sine iudicio vel juris ordine, infe-
riori aliquo beneficio spoliauerat, iubetur
id, antè omnia, cum omnibus illi añexis
redditibus restituere; tum verò (factâ
priùs restitutione) si quid aduersus eum su-

CCCC:

LV.

Syndicus;

100.

Xx 3

per

per illa Ecclesia proponere velit, ordine iudiciario experiri. Quod multo fortius vrget in Prouincialatu, cuius iurisdictio æquivalet Episcopali. Idedque & contra Prouincialem probationes multò clariores & euidentiores requiruntur, quàm contra subditos. Rodriq. 10. 3. q. 77. à. 4. Et Portel. vbi supra. n. 9. dicit: quòd cum jus benè præsumat de Prælatis & Magistratibus; cum item Iudices in iudicando non possint non lædere multos, & proinde Prælati sint positi tanquàm album ad sagittam, ad vincendam illam bonam opinionem habitam de Prælatis à jure, & vitandas suspectas querelas ordinarias contrà ipsos, necessarium sit, vt & testes ac probationes contrà ipsos sint qualificati testes, & clarissimæ probationes. Addit etiam ex Rodr. non posse alicui Prælato exhiberi articulum, vt respondeat de aliqua culpa, si hæc probata solùm est per vnum testem, etiam occultum, si fiat cum animo puniendi; secùs autem, vt ille Prælatus se possit purgare, &c.

CCCC-
LVI.
Austori-
700.

456. Ex his infero, non posse absque graui iniuria Prouincialem à Visitatore subijci alicui Guardiano, eo inferiori, cum ipsi Prouinciali, ex præscripto Regulæ c. 10. teneantur omnes fratres Prouinciæ in omnibus obedire, quæcunque non sunt contraria

traria animæ & Regulæ. Effet etiam hoc manifestum signum absolutæ depositionis; nam hac ratione nulla penitus ei remanebit auctoritas, si Monachorum potestati coeperit subiacere. c. Nullam potestatem. 18. q. 2.

457. Quod si Visitator violenter velit spoliare Prouincialem debitâ illi dignitate ac potestate, potest non solum legitimè resistere, vel etiam excipere recusando talem Visitatorem; verùm etiam debet. Pro prima parte videantur Authores citati à P. Bassæ. 10. 2. V. Visitator. n. 15. & 16. vbi notanter ostendit, Prohibitionem recusationis Iudicis ex iusta & graui causa, non continere iustitiam, sed iniustitiam; quia prohibet defensionem & implicitè vult oppressionem innocentæ & iustitiæ, vultque tradi in manus inimici eum, quem ipse vult lædere. P. Bouer, autem in Directori fori iudic. p. 3. c. 1. singulariter aduertit; cum propositâ, ante iudicem, recusationis causâ, iudex eam minimè examinare vulerit, sed in causa vltèrius processerit, non solum mereri, vt recusetur, verùm & omnia ipsius acta post recusationem oblatam, nulla ac irrita reddi, tametsi causa eidem delegata fuisset omni appellatione remotâ. Secundam partem indicat Doct̃or Anglic.

CCCC-
LVII.
Defensio.

Xx 4

2. 2.

2. 2. q. 108. a. 1. ad 2. dicens: Quod mali tolerantur à bonis in hoc, quod ab eis proprias iniurias patienter fufinent, secundum quod oportet, non autem tolerant eos, vt fufineant & proximorum. Dicit enim Chryf. hom. 5. in Matth. op. imp. In proprijs iniurijs. esse quempiam patientem, laudabile est, iniurias autem Dei difsimulare nimio, est impium. Et ad 4. Dic. inquit, Quod iniuria, que infertur personæ alicui, quandoque redundat in Deum & in Ecclesiam (sive Religionem) & tunc debet aliquis propriam iniuriam vlciſci, sicut patet de Helia, qui fecit ignem descendere super eos, qui venerant ad ipsum capiendum. Vt legitur 4. Reg. 2. In quantum verò iniuria in aliquem illata ad eius personam pertinet, debet eam tolerare patienter, &c.

CCCC-
LVIII.
Contra
Violenti-
477.

458. Si minis & censuris vrgeatur Provincialis à Vifitatore, cum timor excommunicationis æquiparetur timori cadenti in virum constantem, in tali casu melius est obedire. Alagon. in Comp. Iur. Canon. num. 271. in Gl. c. Olim inter. de restit. spol. Ne quid verò inde detrimenti patiatur ipse vel Communitas, potest interponi protestatio, quam si vel ore factam vel oblatam scripto, rejiciat, faciatque eodem metu à protestante rursus cassari; licet idcirco videatur à protestatione recessisse, maximè si non repetat

petat in omnibus. Barbos, in *Axiom. tit. 194.*
 Et quia voluntas etiam coacta, voluntas est.
 Arist. *l. 3. Eth. c. 1.* Et habet D. Thom. *1. 2. q. 6. a. 8.* Itemque L. *Mulier. §. si metu coactus. ff. quod metus causa.* Inutilis non erit protestatio, propter metum, præsertim perseueranter incussum; & inualidum erit, quicquid hoc modo extorquebitur. Iuxta com. DD. de hac materia differentium.

459. Visitatores Generales, sicut ipsi, secundum Ordinis Constitutiones nequeunt eligi Prouinciales in Prouinciis, quas visitant; Ita nec socij eorum aut Consultatores, fieri possunt Custodes ad Capitulum Generale. *Ordinat. Gener. A 1656.*

460. Si P. Generalis, vel etiam P. Prouincialis, postquam instituit aliquem Visitatorem vel etiam Vicarium, moriatur, vel ab officio deponatur, potest nihilominus Vicarius seu Visitator in sua Visitacione procedere, quando res amplius non est integra; secus autem, si sit adhuc integra. *Portel. V. Prælati potestas. in add. n. 16.* Dicitur res adhuc integra, in proposito, quando necdum facta est publicatio litterarum patentium in aliquo Conuentu Prouinciæ sibi delegatæ, quæ publicatio æquivalet citationi, ad effectum, vt res dicatur non integra, seu vt dicatur negotium Visitacionis

Xxj

nis

CCCC-

LIX.

Circa Visitatores Generales Ordinatio.

CCCC-

LX.

Defuncto Delegante procedendi potestas.

nis iam cœptum. Atque ita si moriatur Generalis aut Prouincialis, qui Visitatorem delegauit, lectis in vno Conuentu (intellige à simili, iuxta n. 445. coram P. Prouinciale & Patribus) litteris suæ delegationis, etiam ante incœptam visitationem seu fratrum examinationem, poterit in negotio visitationis profequi æquè benè ac si, qui eum delegauit, adhuc viueret. Quod si Delegatus, dum pergit ad visitandam Prouinciam sibi commissam, habeat certitudinem de morte Delegantis, antequàm litteras commissionis publicauerit, non poterit amplius dictas litteras publicare neque negotium visitationis profequi: Si solum rumorem audiat, qui moralem certitudinem non faciat, poterit profequi. Non enim omni rumori, fortè sparso ad finem impediendi visitationem, credendum est. Et tunc intrat Regula: Quodd melior est conditio possidentis. Peyr. 10. 3. Priuil. c. 4. num. 10.

CCCC-
LXL.
Visitatio-
nis Con-
clusio.

461. Prouincialis, etsi visitare nequeat super casibus definitis aut Visitatis à Generali, cum Inferior de rebus Superioris cognoscere non possit. c. Inferior. d. 21. post discessum tamen Generalis, potest non solum ordinariam suam Visitacionem facere, & super alijs casibus secutis à tempore Visitacionis

stationis generalis inquirere: Verùm eti-
am si substantiale quid de nouo emerferit,
casum relictum à Generali indecisum ob
defectum probationum, ordinariâ aucto-
ritate definire. *Peyr. cit. n. 9.*

462. Visitatores, in singulis domibus
Religionis, absolutâ visitatione, possunt
Religiosis illius Conuentus concedere Be-
nedictionem, & Indulgentiam plenariam
per Concessionem Leon. 10. factam Mino-
ribus, de quo *Peyr. ad Constit. 14. Leon. 10.*
n. 12. aduertit ex *Pereg.* quòd hæc facultas
non videatur reuocata per *Constit. Paul. 5.*
relatam V. Indulgentia. n. 220. Nam facul-
tas concedendi Indulgentias, non est In-
dulgentia: Et ex diuersis non sitillatio. *c.*

Ad audientiam. de Decimis.

Dictæ absolutionis forma & modus
eam dandi penes nos ita se habent. Peractâ
Visitatione cunctorum, conueniunt fratres
omnes in Refectorio, quibus cum corre-
ctionem necessariam & admonitionem su-
per Disciplina Regulari vel simili materia
P. Prouincialis fecit, ad illius iussionem
flectunt genua dicentes: *Confiteor, &c.* quo
finito P. Prouincialis, indictâ, loco pœni-
tentia, Oratione Dominicâ & Angelicâ
Salutatione, dicit: *Misereatur, &c. Indul-*
gentiam, &c. Dominus noster IESVS Christus

708

CCCC-
LXII.
*Visitato-
rum Ab-
solutio.*

vos absoluat, & Ego auctoritate ipsius & Sum-
 morum Pontificum absoluo vos ab omni vinculo
 Excommunicationis, maioris vel minoris, se-
 quam vel si quas incurristis, & à suspensione &
 interdicto, in quantum possum & valeo. Item
 eadem auctoritate dispenso vobiscum super omni
 Irregularitate, in quantum possum & indige-
 tis, & do vobis plenariam Indulgentiam. In
 Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. A-
 men.

463. Magnæ utilitatis est hæc absolutio
 ac Dispensatio data sic etiam in generali,
 ut notant communiter DD. cum Sylu. V.
 Confessio. 1. q. 4. & aliis, quos allegat & se-
 quitur Nau. in Man. c. 26. n. 13. Prodest
 enim saltem pro censuris & Irregularitati-
 bus dubijs & oblitis, seu ignoranter incur-
 sis, ita ut si quis deinde fuerit recordatus in-
 nodatum se fuisse aliquâ excommunicatio-
 ne seu Irregularitate, non teneatur de his
 amplius absolutionem quærere; quia iam
 sublata censentur; sed satisfacit cõstitendo
 peccata, ob quæ illa incurrit, quæ peccata
 iã nõ sunt reservata amplius, cū ea reserva-
 ta tantum propter censuram fuerint. Ali-
 ter se habet res circa casus reservatos non
 habentes censuram annexam, quandoqui-
 dem de huiusmodi peccatis nulla fit ibi
 mentio, neque ratio aliqua suppetit, cur
 ita

CCCC-
 LXIII.
 Huius V-
 sulas.

ita de voluntate superioris præsumamus. P. Coriol. de Cas. referu. p. 1. sec. 1. a. 11. Quin verò etiam absolutionem illam prodesse pro censuris & Irregularitatibus certis & manifestis, occultis tamen ac in foro conscientiæ, putat rationabiliter, Lezan. to. 1. c. 18. n. 93. asserens valere ad omnia, ad quæ se possunt extendere auctoritas ordinaria & Præuilegia Prælatorum: Verba enim illa, quibus in similibus casibus vtuntur Prælatis scil. *Absoluo vos, vel Dispensò Vobiscù, &c.* piè sanè videntur favorabiliter amplianda. Quare valebit etiam talis Dispensatio ad rehabilitandum in casibus, V. Electio, n. 169. & V. Pœna, n. 372. de qua proinde N. P. Sigism. de Elect. dub. 95. n. 3. sermonem faciens: Memmerint, inquit, fratres, se in Visitacionibus suorum Prælatorum Maiorum dispensatos esse ab omni inhabilitate occulta in foro conscientiæ, iuxta tenorem Præuilegiorum, quando absoluuntur & dispensantur ab omnibus Irregularitatibus, inhabilitatibus, pœnis, &c. sicuti & de censuris restantur Sylu. &c.

V O T V M.

464. *Voti Definitio & requisita.* 465. *Voluendi aduerrentia.* 466. *Voluntas.*

467.